


~~Alte Fe.~~

R





3
FACULTATIS JURIDICÆ
DECANVS,
CONR. WILHELMVS
Strecker/ JCVS,

PRÆLAUDATÆ FACULTATIS, ET JVDICII
ELECTORALIS PROVINCIALIS ASSESSOR, PROFES-
SOR COD. PVBL. ORD. CIVITATIS SYNDICVS,
ET CONSVL PRIMARIVS,

AD

AVDIENDAM LECTIONEM CVRSORIAM

ad L. 1, §. 23. ff. de quest.

ET

DISSERTATIONEM INAUGURALEM

AD DIEM IX. NOVEMBRIS, MDCCXXXVI.

LECTOREM BENEVOLVM
PERHVMANITER INVITAT.

ERFORDIÆ,

Typis JOHANNIS CHRISTOPHORI HERINGII,
Acad. Typogr.



Dirus ille veritatis eruendæ modis per tormenta non solum à quibusdam JCtis, sed etiam à plurimis Theologis & Philosophis damnatur, execratur, anathematizatur, eundemque è Christianorum Rebuspublicis proscribendum esse acerrimè contenditur. Nihil enim tam inhumanum, tamque severum, ac crudelitate plenum, esse dicunt, quam corpora hominum ad Dei Creatoris imaginem condita diris durisque non minus, ac noxiis & lethiferis variorum horrendum in modum excogitatorum instrumentorum cruciatibus excarnificare, & vivificantem ex ossibus medullam extorquere. Abhorret, inquit, ab æquitate naturali, quendam laniari, antequam eundem delicti reum esse constet, cum omnis corporis cruciatus pro pœna habeatur, pœna autem tanquam peccati animadversio haud insigenda venit, nisi peccatum adsit; His ac similibus argumentis, quæ ad longum recensentur atque exaggerantur, id saltem evincunt, ne iudex criminalis in hac re satis ardua, fragili ac periculosâ immaturo iudicio ad hoc tormentorum genus deproperet, sed eò omnibus, queis poterit, viribus allaboret necesse erit, ut Inquisitus aliis vincatur argumentis, vel adhibito bono ac licito modo ad confessionem adigatur, nullis hic sumptibus pareat iudex, nullisque laboribus. in

in casibus faciliori via confessio haberi & veritas sine tormentis erui possit, si examen Inquisiti cauto, attento, accurato ac debito modo institueretur, dura in duro corde verba parum vel nihil operantur, imo cor induratum plerumque adhibitis nimis, prout quorundam judicum haud laudabilis mos est, investivis ac veluti gravitatem ejusque poenam praematurè proponendo magis magisque induratur, lenia, quibus cor flectitur, potius adhibenda verba sunt, mundi inconstantis, vitæque miseræ, quibus fortè per totum vitæ decursum pressus ingemuit, eâ, quâ par est, facunditate proponantur, ostensa Dei, ejusque misericordia & in hoc & futuro sæculo in animum Inquisiti, suavi tamen alloquio, inducatur; ubi posthæc factâ verbosâ delicti exhibitione Reus inculpatus in negatione perseveret, unum indicium post alterum, quæ omnia iudex in promptu habeat, Inquisito seriâ ac gravi admonitione circumscribendo omnes concurrentes circumstantias repræsentetur & quasi in rem præsentem ducatur, atque sic argumentis, de ac redemonstrationibus convincatur. Si his similibusque mediis adhibitis cor inquisiti in veritatem nondum eructari velit, animo obstinaci pro genio delinquentis duriora opponantur, in carcerem magis squalidum detrudatur, vinculis pro delicti gravitate gravioribus mancipetur, examina potissimum ratione circumstantiarum principaliorum interduatim reiterentur, quæ inter prudens Inquisitoris probè attendat, annon gravatus ratione loci, temporis, vestitus, instrumentorum, sociorum, rerum, aliarumque circumstantiarum in contradictoria antedictorum mendacium immemor prorumpat, quibus mox

combinatis ac mendaci Inquisito objectis, vix erit, ut extricet se, hoc modo, experientia teste, multi etiam versutissimi fures, aliorumque delictorum rei ad confessionem inducuntur. Hisce verò mediis omnibus à duræ cervicis homine spretis & frustra tentatis, demùm, ut veritas extorqueatur, ad corporis cruciatus s. torturam progrediatur, quæ tamen, si secundum vulgarem & communiter receptum torquendi modum in furibus famosis, aliisque atrocium criminum reis adhibeatur, parùm aut nihil fructificat. Quare multis in locis sensibilibior modus, quem jamjam in programmate d. I. Nov. 1733. publicato, delineavi, saluberrime & cum effectu insigni introductus est, ne tamen decernatur, nisi 1) sit causa criminalis & delictum atrox & capitale, 2) aliæ probationes deficiant, 3) Reus multis indiciis oneratus & argumentis penè convictus sit, ita ut præter confessionem nihil ferè reliquum esse videatur, & denique 4) ut de criminis certitudine & veritate constet. De moralitate igitur torturæ ejusque usu & abusu pro diversitate Provinciarum, Principatuum ac Regnorum tam in quam extra Germaniam ad electam sibi Legem Cursoriam nempe *L. 1, §. 23. ff. de quæst. solide* discurret

NOBILIS ET CLARISSIMVS
DOMINVS,

JVRIVM CANDIDATVS MERITISSIMVS,
JOHANNES ERICVS FICK,
Natione *Suecus*, & quidem *Lindesberga Westmannorum*
oriundus, Patrem habet inter cives oppidi celebriores,
Virum Spectatissimum, ERICVM FICK; nominis sui originem

ginem qui, secundum tradita majorum, ex peranti-
qua & nobili in *Livonia* repetit profapia: Matrem ve-
ro, *Dilectissimam Matronam*, ANNAM BOHRÁS; Paren-
tes honestissimos. Natus autem est Anno hujus secu-
li tertio, die 1. Mensis Septembris. Prima parentum
fuit cura, ut a tenera prorsus ætate doctrinæ salutaris
capita ac literarum elementa addisceret: in quem fi-
nem diu privata domi usus est institutione. Ephebus
dein factus Lycæum frequentabat *Arosiense*, ab Anno
1715 usque dum, majora adspirans, insignem illam vir-
tutis palæstram, Academiam *Upsaliensem*, Anno 1722,
adiret. Heic ita se gessit, ut intra biennium dignus sit
habitus, qui *Regio* ornaretur *Stipendio*: quo incitatus sti-
mulo in omne fere scientiarum genus feliciter incu-
buit. Duces & studiorum moderatores habuit summe
Reverendos, Nobilissimos, Excellentissimosque Viros:
Philosophica enim sub directione ERICI ALSTRIN,
*S. S. Theol. Doctoris, Log. & Metaph. Professoris, b. t. Con-
sist. Eccles. Hohmens. Pras. & Past. ib. Prim. ut & MAT-
THIÆ ASP, A. L. Mag. ac Eloqu. Professoris, P. & O.*
tractavit; in Theologicis *S. S. Theol. Doct. & Professo-
rem*, DANIELEM LVNDIVM, pro temp. Reverendissi-
mum *Sudermannia & Nericia Episcopum* auscultavit; Ju-
ridica vero sub JOANNE REFTELIO, *Juris Svec. Pro-
fessore, P. & O.* JOHANNE MALMSTRÖHM, & JA-
COBO WALLRAWE, *Juris Rom. Professoribus, P. & O.*
debita assiduitate & diligentia percepit. Cumque sic
privatim non modo, verum & publice *Respondendo Op-
ponendoque* Patrum Academicorum sibi conciliaverit
amorem; &, quod prius dicendum fuerat, in ipsos *Po-
tentiſſimæ ac Clementiſſimæ Svecorum, Gothorum, Wandalo-
rum-*

runque &c. &c. &c. *Regine*, VDALRICÆ ELEONORÆ, natales, qui Anno 1727, die 23 Mensis Januarii, magna cum festiuitate celebrabantur, elegantem rythmis Svecanis *Orationem* publice habuerit, *conf. acta Lit. Svec. ejusd. anni*: præter regiam, quam expertus est, largitatem, Anno 1728 promovebatur ad famigeratissimum illud *Stipendium Wredianum*; idque suffragante *Venerando Concilio Academico Upsaliensi*, & determinante *Se Ræ Mris summae fidei Viro*, Regnique *Senatore*, & *Supremo Mareschallo Aulico*, Comite *Illustrissimo*, *Celssimoque Domino*, MAGNO JULIO DE LA GARDIE, cui summo fortunæ suæ Patrono ac Mæcenati placidam lætamque adprecatur vitam. Eodem hoc anno, impetrata prius *Consultissima Facultatis Juridicæ* venia & approbatione, praxi se totum dedit, & *Advocaturam*, in *supremo Regio*, quod *Holmia* floret, *Judicio Aulico*, anno demum 1731, ipsi solemniter confirmatam, per quinquennium sic diligenter exercuit. Nec prætereundum; quod *Candidatis* in *Curia Superiori Holmensi*, Anno 1729 non tantum, sed & in *Sacræ Regiæ Majestatis Regnique supremo Collegio Commerciorum*, Anno 1730 adscriptus, diu quoque usus sit *beneficio*, quod dicitur, *Auscultationis*; ut id ipsum diplomata satis luculenter ostendunt. Denique sub *Peregrinatione* sua, quam anno 1733, in Mense Junio, Numinis sub auspicio inceperat, observatis ubique locorum iis, quæ ipsi in posterum profutura videantur, *Uplandiam*, *Dalekariam*, *Helsingiam*, *Roslagiam*, *Westmanniam*, *Nericiam*, *Sudermanniam*, *Ostro- & Westro-Gorbiam*, *Babusiam* *Norvegiæ* olim *Præfecturam*, *Hallandiam*, *Insulam Hwen*, *Smalandiam*, *Scaniam*, atque sic omnem fere *Sueciam*

ciam circumvit; ratus peregre profecturum non de-
re, ut in sua ipsius patria sit peregrinus: quo demum
itinere rite peracto Londini Scanorum annum pene
transegit, idque nec sine magno sui emolumento; si-
quidem desiderata ibidem Viri Consultissimi, DAVIDIS
NEHRMAN, Jur. Parr. & Rom. Professoris, P. & O. in-
stitutione ipsi ad delictum frui licuit. Tandem ex Da-
nia, ubi Hassniæ, Roskildæ, Croneburgi &c. multa quo-
que in suos usus converterat, redux Germaniam adire
constituit. Hinc, Balticum mare transvectus primo
Rugiam petiit Insulam. Urbes inde celebriores, Stral-
fundiam, Gryphiswaldiam, Anclamum, Stetinum, Premisla-
viam, Berolinum, Bostampium, Wittebergam, Misniam, Dres-
dam, Altenburgum, Weissenfelsam, Lipsiam, Merseburgum,
Halam Magdeburgicam, Naumburgum, Jenam, Vinariam,
Gotham &c. visitavit, variaque cum summæ eruditio-
nis viris habuit ubique colloquia: verbo; omnem fe-
re Pomeraniam, Marchiam Brandenburgicam, Saxoniam su-
perioiorem & inferiorem peragravit: usque dum ad no-
stras nuper pervenerit oras, decenter petens; ut sibi
examen in Utroque Jure rigorosum concederetur. Or-
do noster honestæ ejus petitioni annuere & laudabi-
li desiderio satisfacere non dubitavit, sed textus ex
utroque Jure & Canonico & Civili, pro more recepto,
elaborandos ei communicavit, quos solidè ac eruditè
enodavit, & ad quæstiones & juris difficultates in ipso
examine propositas tam doctè respondit, ut unanimi
consensu supremis jurium honoribus dignissimus judi-
catus sit. Proinde publica ei cathedra est aperta, ex
qua proxima die Veneris, quæ erit 9 Novembris, Le-
ctionis

tionis Cursoriæ loco præcitatum *L. 1, §. 23. ff. de quest.*
explanabit & Dissertationem Inauguralem

DE
**PRAXI JURISPRVDEN-
TIÆ HYPERBOREÆ,**

SEV DE
ADPLICATIONE
JURIS AD FACTVM,

habebit. Quos actus solennes, ut Magnificus Domi-
nus Rector, Domini Decani, Assessores, Professores re-
liquique Academiæ Proceres ac Fautores, honorificâ
sua præsentia dignari, Domini Studiofi frequentes
interesse velint, debita cum humanitate rogantur, in-
vitantur. Publ. sub Sigillo Facult. Jurid. d. 4 Novembr.
Anno M DCC XXXVI.



154562

VD18

ULB Halle
005 372 046

3



R





DIS





3

TATIS IURIDICÆ
CANVS,
WILHELMVS
efer/ JCVS,

E FACVLTATIS, ET IVDICII
ROVINCIALIS ASSESSOR, PROFES-
BL. ORD. CIVITATIS SYNDICVS,
CONSVL PRIMARIVS,

AD
LECTIONEM CVRSORIAM

L. 1, S. 23. ff. de quest.

ET
ONEM INAUGURALEM
X. NOVEMBRIS, M DCC XXXVI.

EM BENEVOLVM
VMANITÈ INVITAT.

R F O R D I Æ,
S CHRISTOPHORI HERINGII,
Acad. Typogr.

5